

1870-1871  
1871-1872

X-11-64

925/ 3450u

6

HARVARD UNIVERSITY.



LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM OF COMPARATIVE ZOOLOGY.

A. M. 1871.

Nov. 17. 1892.

Mar 15

~~2. 11. 30.~~  
D. XI. 44

○

IACOBI THEODORI KLEIN  
MANTISSA ICHTYOLOGICA  
DE  
SONO ET AUDITU  
PISCIUM.  
SIVE  
DISQUISITIO RATIONUM,  
QUIBUS  
AUTOR EPISTOLÆ  
IN BIBLIOTHECA GALLICA  
DE  
AUDITU PISCIUM,  
OMNES PISCES MUTOS SURDOSQUE ESSE,  
CONTENDIT.

---

BELLON. *Aquat.* pag. 209.

QUIS PISCES VOCIS EXPERTES ESSE IGNORAT? SED VOCIS LOCO QUOSDAM  
VELUTI STRIDORES AC SONOS NONNULLI EXPRIMUNT, QUI FACILE NO-  
STRIS AURIBUS PERCIPİ POSSUNT, UT LYRA, CHROMIS ET ALII PERMUL-  
TI, QUOS OB ID PRISCI EXISTIMAVERUNT VOCALES.


---

LIPSIAE,  
APUD IOANN. FRIDER. GLEDITSCHIUM.  
MDCCXLVI

SOPHOCLES *in Aiace*:  
Εφῆκεν ἐλλοῖς ἵχθυσιν διαρθοεῖς;  
Pestem immisit mutis piscibus.

LE CAT *Traité des Sens*.

Chacun entend à sa façon, comme chacun voit, sent & goute aussi proportionnellement à la structure particulière de ses organes. Et tout cependant n'en va pas plus mal.



## LECTOR BENEVOLE.




N<sup>on</sup> me suspectum habeas, acsi *promissum*  
intervertere velim, quod MANTISSA  
*ICHTYLOGICA* antevertō *Historiae*  
*piscium naturalis promovendae* MISSUM QUINTUM  
& ULTIMUM. Non temere audeo. Absoluta est  
*piscium per branchias apertas spirantium* SERIES SE-  
CUNDA; sunt quoque ad manus egregiæ multorum  
effigies; sed *sonticas* habeo cunctationis causas,  
quas si exponere vellem, verba facerem de fato,  
non quidem lucri, nec absorbentis æstus gloriæ cau-  
sa, *suscepti, improbi* tamen, tandemque *finiti laboris*;  
accusarem *incogitantiam* meam, profundisse libellos  
*propriis sumtibus comparatos, &, subducta prodiga-*  
*litatis ratione, infestivos nonnullorum Libellionum*  
mores; ut me mordeat, aureo ultra piscari hamo,  
& vel ultimas chalcographi tabulas eburneo vertere  
rastro.

rastro. Inabsolutum dereliquissem opus; sed obtinuit pietas, & succubui hortatui *Amicorum*, ut nec sumtibus suscepti itineris pepercerim. Quodsi prospera expectationi secundet fortuna, approperarem & MISSUM de piscibus ULTIMUM.

Interea TIBI, amicissime LECTOR, ampliorrem, quam in MISSU PRIMO, DISQUISITIONEM de SONO & AUDITU piscium, in Societate physicæ experimentalis Gedanensi nuper d. 24. Febr. lingua vernacula lectam, otii consumendi gratia, trado; de re ipsa iudicium TUUM subiens.

An reliqua, varii argumenti, opuscula TECUM communicare integrum mihi fuerit, usque dum nescio; hoc pro certo scio, nihil mihi acceptius fuisse, quam occurrere desideriis TUIS. Vale & fave. Properabam Lipsiæ XVI Maii MDCCXLV.

DISQUI-



**DISQUISITIO RATIONUM,  
QUIBUS**  
**AUTOR** Epistolæ de AUDITU PISCIVM \*.  
*omnes pisces mutos surdosque esse,  
contendit.*

S. L.

**Q**uænam animalia autor intelligat, *piscium* nomine vocanda, ex Bibliot. E. negativa propositio fluit, *pisces* appellare recusans: pag. 281.

II.

Cum modo constat, quænam animalia aquatica pisces non sunt, sine dubio erunt pisces reliqua *omnia aquatilia*, que in exceptionem non

<sup>4</sup> Lettre philosophique sur l' Oie des Poissons. Biblioth. Francois Tom. XXXVI Part. II p. 273 sqq.

Se ignorare testatur Dominus *Autor*, utrum quis observaverit, quod *inse-*

éta surditate laborent (*si les naturalistes ont remarqué la surdité des insectes*); interim in Anglia vulgo id constare communi proverbio: *as deaf as a beetle*; sourd, comme un escarbot; surdus tanquam scarabaeus.

A

## DE SONO ET

*non ingrediuntur; consequenter eadem Ginnia animalia, quæ pisces sunt<sup>b</sup>, absolute surda esse contendit Dn. Autor, æque ac insecta.*

### § III.

Iam vero PISCUM non plures, quam duos, deprehendimus Ordines. *Primus ordo PULMONIBUS* gaudet, prout quadrupedia, vel terrestria, vel amphibia<sup>c</sup>. *Secundus ordo organa habet PULMONIBUS analogica*, vel vicaria, id est, quæ omnino minus pulmonum subeunt; *Germanis*: Ohrwangen, der Kampf, communiter Fisch-Ohren, Röhmen vel Kiemen; *Latinis*: Branchiæ; *Græcis*: Βραχία, Βράχιαι; *Gallis*: les Oties; *Anglis*: Fish-Ears, dicta<sup>d</sup>.

### § IV.

Ad primum piscium Ordinem referuntur tria Genera: **BALÆNÆ**, proprie **Wall-Fische**<sup>e</sup>, **MONODON**, sive unicornu marinum,

<sup>b</sup> Nobis audiunt pisces *Animalia apoda*, pinnis natantia. ARTEO Ichtyol. P. II p. 1, pisces est animal apodus, pinnis semper præditum, & tamen *Manatum* Indorum piscem (*ibid. p. 5.*) facit plagiurum in ventre tantum pinnas habentem, dorsum impenne; confer Miss. II § XLII. Il a sous le ventre de petites pates en forme de mains, ayant chacune quatre doigts fort courts & onglés; d'AZERTRE Tom. II p. 199: Ha due picci grossi & rotondi di 4 unghie &c. NICOLAO SERPETRO 2<sup>o</sup> mercato della maraviglia della natura p. 338. SCHIENKEFELDIUS, aliisque autores definitiunt pisces: *animalia in aquis viventia*; verum recte Dn. autor *tipulas*, aliaque *insecta aquatica*, licet in ipsis aquis non extra aquam vitam trahant, pisces esse negavit.

<sup>c</sup> Nec obstat, quoè nonnulla amphibi-

bia ex genere Phocarum, verè See-Hunde, See-Rühe &c. proprie non nisi duos pedes, & quidem anteriores habeant, cum posteriores pedes ita considerandi, ac si sint in unum coaliti, & communis corio piloso, quasi involucro, concteti; his clavi loco utuntur; nec pro canda habendi sunt, quippe supra exitum excrementorum ipsis est canda, curta quidem, suppellex. Hæc animalia præ Ostreis iure meliori Semiamplibia nuncupasset clariss. autor; vid. infra § XXII.

<sup>d</sup> Astaci quidem aliaque crustata, nec non testacea, organa habent branchiis analogica (vid. prelud. de crust: in summa dubiorum &c. § I in notis) quod autem pinnis carent, nobis piscium nomine non veniunt.

<sup>e</sup> Weil sie überm Wasser wie grosse Wölfe oder Löwen von weiten anzusehen.

rinum, Einzähn, Einhern, Narwahl, DELPHIACES, Meer-Schweine<sup>f</sup>. Ultimi Generis tres nobis usque dum cognitæ sunt species: Orca, Derschwein, Schonev. Delphinus, Delphinus antiquorum; Fursio sive Phocæna, Delphinus alter Plinii; Swinia Morska, Polonis; Taumler<sup>g</sup>. Omnes trium generum pisces vocamus PHYSETERES<sup>h</sup> i. e. Wasser-Blaser. Ex Secundo Ordine duæ familiæ surrexerunt. Ad alteram familiam numerantur pisces omnes, qui vel pene caput ad latera utrinque unum, duo, quinque novemve spiracula sive foramina habent, vel in thorace, quatenus his piscibus thorax, prout recte physeteribus, adiudicari possit, constanter quinis, id est decem incisuris praediti, sub quibus foraminibus occultæ branchiæ, querendæ, ut (juxta vulgarissimos) in Anguilla sive Congro, Lampetra seu Petromyzone, Raia<sup>i</sup> &c. ad alteram familiam omnes reliqui pisces referendi, communiter spinosi dicti, qui apertæ, id est, mox in oculos cadentibus branchiis, operculis quidem, sed tamen mobilibus tectis, utrinque in capite gaudent, sine detrimen-  
to, vel interitu piscium numerandis; e. gr. inter notissimos: A sel-  
lus; Cyprinus; Lucius; Perca; vulgo diæti<sup>k</sup>. Hos amborum Or-  
dinum pisces omnes autor epistolæ auditu omnino privatos esse ait.

## § V.

Præiudicia mīhi æque odiosa sunt, ac Domino Autori, qui cau- Bibliot. Fr.  
ſæ, de qua agitur, ab initio epistole querelam Domini DESLANDES<sup>l 29. 274.</sup>  
præmisit, scilicet ægerrime præiudiciis consuli<sup>l</sup>; e. gr. quod in em-  
poriis

<sup>f</sup> Fürnemlich wegen ihrer Schweins- Köpfe.

<sup>g</sup> Weil er beständig aus dem Wasser als taumlend hervor schiesset, und in der Luft einen Bogen beschreibt.

<sup>h</sup> Vid. Hist. pisc. nat. promov. Miss. II  
§ 9.

<sup>i</sup> Vid. Miss. III.

<sup>k</sup> Vid. Miss. IV & V.

<sup>l</sup> Que les choses établies une fois s'éta- blissent de plus en plus, parce que per-

soune n'ose reclamer &c. Sane, clariſſ. autor primus non est, qui cpi-  
nione laboravit: pisces & mutos &  
furdos esse; habet antecessores, qui  
in hanc sententiam abierunt, & in-  
ter reliquos doctissimum BOCHAR-  
TUM in Hieroz. qui: pisces non mo-  
do mutus est, sed & plane ἀφορος &  
ſtrident quidem nonnulli pisces, sed  
vel attritu branchiarum, vel com-  
preſſione ventris, Ecquis autem  
præju-

## DE SONO ET

poris maritimis hominum nemo moriatur, *fluxus* sed solum tempore *refluxus maris*; quod Luna *influxus* suos **Terræ** vehementer *imprimat*; quibuscum præiudiciis Dn. *autor* coniungit *tertium*: quando libenter volumus nobis persuaderi, ac si *pisces peracuto auditus sensu* prædicti essent; sibi autem persuasum vult clariss. *autor*, neminem, præter illum **RE A U M U R I U M**, reperiri inter *Naturalistas*, ( quo nomine historiæ naturalis cultores salutat ) qui non præsto sit irare in pectorum testimonia: *pisces audire perfecte*; contrarium se probaturum promittens, scilicet: *Pisces absolute surdos.*

## § VI.

Sic evidens est *propositio Domini Autoris*, quam variis rationibus stabilire contendit. At modum (cum pace eius dixerim) excedit, obtrudens, exceptis illustri **REAUMURIO**, *semetque ipso*, viris doctis & antiquis & recentioribus *præiudicia*, & quidem talia, quibus a *piscatoribus* & *aniculis* *salamentariis* incantati fuerint. Procul quoque esse solet a viris cordatis, opiniones comprobare vel *huius* vel *illius viri celebris* autoritate, sine sufficientibus rationibus. Amicus nobis *Plato*, amicus *Aristoteles*, sed magis amica *veritas*. Ab *Aristotelis* temporibus nonnullos eruditorum novimus, qui pectoribus sensum auditus denegarunt, plures qui *pisces audire*

*præiudiciorum vacuus?* cui infirmitas positionis *viri doctissimi* non suboleret. Opinio certe singularis est, *pisces stridere attritu branchiarum*; probabiliter *autori* in mente venit *stridor*, quem ciant locustæ fœmineæ plures, *gryllique* & *sylveltres* & *domestici alii suis*. *Ventriss compressione* & *canis latrat*, quem tamen vocalem dixeris, nisi forte, commune quid cum caniculis crepidiorum Norimbergensium habentem; *on voit un chien crier, on le voit pleurer, pour ainsi dire, à un air joué par un flute, i.e CAT. pag.*

62; & quando idem doctissimus BOCHARTUS *ibid. Lib. II cap. XXIII: Vox Elephantis non nisi stridor est;* & alibi: *Vespertiliones strident & fabulosè animabus tribuitur stridor, quia sermone articulato carent;* sibi ipsi contradicit; nam quis affirmaret: *Elephantem, Vespertilionem, Soricem mutos esse*, quod *articulata voce non gaudent*, vel *vocales non sunt*, ut *Philomela*, vel non latrant, ut *Canis*, vel balare nesciunt, ut *Ovis*: quo sermone *animæ* utantur, me omnino latet. Sed hæc obiter; plura de pectoribus infra.

audire sustinuerunt, conf. *Miss. I § VII, VIII;* sed nemo omnium *unica fundamenta*, vel pro piscium causa, vel contra eandem, posuerunt in *testimoniis piscatorum*. *Hic vel illi, experientia duce*, quam aut sibi ipsis studiose compararunt, aut cum aliis, imo cum piscautoribus, communem habuerunt, sive satis evidenti, sive non sufficiente, *ratiocinati* sunt: *utrum pisces polleant auditu, nec ne?* Nonnulli, inter recentiores eruditus Anglus IOANNES RAIUS, secum ipsis non convernerunt, *an omnes pisces auditu prædicti sint, an vero privative aliqui ex nantium agmine?* Alii quosdam per intervalla audire volunt; prout Tursiones creduntur æstate surdi, nec strepitum sequi, hycme satis auriti. THOM. BARTHOL. *Anat. Hist. XXV cent. II.* Plurimi omnibus piscibus auditum tribuunt, etiamsi non omnes audiendi organa vel suspicati sint, vel invenerint, vel determinaverint. SCHEUCHZ. *Phys. sacra pag. 698: pisces auditu pollut, & ( mirum id audit ) carent tamen organis.* Nemo quidem reliquorum auditorum, quos mihi familiares reddidi, facile deprehenditur, qui de *meatibus auditoriis convictus* non fuerit. Sic clariss. *autor* & satis præcipitanter *Naturalistas* ( quos vocat ) *præiudiciorum* insimilavit, & nimis fidenter ante rem satis sibi perspectam esse autumavit, quam animi sui sensa nobis explicare secum convenerit <sup>m</sup>. Maiori fiducia credimus: quod si vel unicus IULIUS CASSERIUS in ARISTOTELIS ævum incidisset, suaque præsidia ipsi communicare potuisset, vel quodsi *posteri* experimenta a CASSERIO instiruta, rite observassent, & comprobata nobis reddidissent, modo dubium amplius nullum de *auditu pisium* superfuturum. Iam vero palam fiet, *nullo præindicio* laborare: nemini piscium sensus auditus temere denegandus, quin anteferenda sit thesi Autoris: *pisces absolute sunt surdi.*

### § VII.

Hanc *thesin* ut comprobet Dominus *Autor*, mox pro certo dicit, *on avoit bien remarqué*, quod nulla organa pisces habeant ad edendum

<sup>m</sup> Exemplum singularis modestiæ hoc loco mihi in mentem venit, quod GESNERUS pag. 503, ubi de ventre Lucii aperto & Tincarum tactu fumato, verba fecerit, mox addat: Mi-

rum est illud, quod a tot audisci viris, ut impudentius fuerit tot testimoniis mendacium non credere, quam veritatem adversus eorum autoritatem tueri.

edendum sonitum quemcunque; idque sententiando illustrat vulgari dicterio: *mutus tanquam pisces*; quod sufficere putat, ut rite concludat: *ergo pisces etiam sunt surdi*. Urget ulterius, *vocalem facultatem*, quam vociferationem (*vociferation*) vocat, vel huic simile quid, eiusmodi animalibus non magis usui fore, quam calvo pecten, quod eadem nec erga sui similes, nec erga diversos a suo genere pisces gaudere queant, imo hanc facultatem se perdidisse sentirent, quandiu sub aquis commoraverint. Nec sapientiae Creatoris congruens factum fuisse pronuntiat *Autor*, *si piscibus concessisset DEUS OPTIMUS facultatem audiendi, vociferationem vero denegasset*, ut sibi invicem de imminentibus periculis prospicere potuissent.

## §. VIII.

Ut ordinate procedamus, singula discutienda sunt. Quod ad *vocalitatem piscium* attinet, nescio, unde habeat Dominus *Autor*, *pisces non esse vocales*, nec, qua fiducia piscibus *organa* ad edendos *sonitus* denegaverit<sup>n</sup>. Nonne sic? *PHYSETERES* sunt *pisces* (*§ II, III.*) quia non sunt (*§ I*) nec *amphibia*, nec *semiamphibia*, neque *insecta*. Physteres præ reliquis habent thoracem a ventre separatum diaphragmate, habent pulmones, arteriam asperam sive tracheam, consequenter & collum, linguamque indubitato veram. Scire velim, an longe plura organa in animali desiderare possit clar. *Autor*, ut *vocale* dici queat *animal*<sup>o</sup>? nihilominus tamen pisces & *primi & secundi ordinis*, id est, *omnes mutos esse* pronunciat. Consulat, quæso, Dominus *Autor* indoctos etiam homines, a præiudiciis liberos, qui quotannis in Grœnlandiam cum classibus venaticis excurrere solent, vel probatos autores p: numne *Physteres* tanta

<sup>n</sup> Respectez les desseins de Dieu, plutôt <sup>o</sup> que de les penetrer; car avec la louable intention de publier ses merveilles, vous ne manquerez pas de lui prêter le ridicule de votre imagination, il a livré l'univers à vos recherches, à vos raisonnemens, mais non pas pour que vous le fassiez penser & agir à votre chetice façon. LE CAT. pag. 69.

Conf. Anat. *Phocæne*, Histor. *pisc.* prom. *Miff. I.* Mugiunt Balænæ, vel clamant tam magno & contento sono, ut qui binis gallicis milliaribus absunt, audire possint. RAIUS apud Willughb. Lib. II cap. 5. Conf. WOTTONUS de Diff. anim. cap. CXXV fol. 172, item ZORGDRAGERUS, MARTENSIUS, plures; nec non § XXVII *Miff. II.*

tanta vociferatione polleant, ut *rigitum Leonis* terque quaterque superet? Sic de *Physeteribus* mox corruit supra fatum dicterium: *mutus tanquam pisces*, & Dominus *Auctor* vel secundum modum ratiocinandi sibi proprium (*§ VII*) fateri cogitur, *quod Physeteres non sint muti, sed vocales*, consequenter *quod nec sint surdi*.

## § IX.

Sed quid dixerō de *prima familia* (*§ IV*) secundi ordinis piscium? *Nunquam Cynocephalos, Hund-Köpfe, Galeos, Spitz-Nasen, Pristem, Säge-Schnauz, Cestraciones, Grob-Schmiede*, sive *Hammer-Fische, Rhinas, Mönch-Fische, Batrachos, Frosch-Fische, Crayraciones Kropff-Fische, Capriscos, Mans-Bocks-Mäuler, Congros, ad latera pinnatos, Ale, Alal-Schlangen*, (quod prout angues volubiles sunt) mit *Seiten-Glossen, Murænas absque pennis lateralibus, Alal-Schlangen ohne Seiten-Glossen, Petromyzones* sive *Lampetras, Neun-Augen, Kleb-Pfoste, Narcaciones, Krampff-Fische, Rhinobatos, Engel-Rochen, Leiobatos, glatt-geschwänzte Rochen, Dasybatos, Brumber-Schwänze*, singulasque horum species *vociferantes* audivi, forsitan neque Dominus *Autor*; ideo tamen nullus dubitaverim, pisces modo dictos, communiter cartilagineos, *Kutorpel-Fische*, *vocales* pariter esse, ac *Physeteres*. *Hi pulmonibus* gaudent & mugitu valent præ illis (*§ VIII*) plus minus secundum species; prout autem *DEUS* sapientissimus, quem appellat *Autor*, pisces in familias, genera & species distribuit, similitudinesque per omnia inter ipsos constituit, sic & supra recensitos *vasis pulmonum vices fungentibus* creavit.

Quid ergo obstat, quo minus *sonos* quoscunque *mugitui* *Physeterum analogicos*, edere possint, nobis licet non expertis. Nonne eadem obtinet relatio inter cætera animalia, vel *quadrupeda* vel *bipedes*? (*cino & apoda*, ut inter angues) *LEO* *vocalis* est & *quadrupes*; recte itaque iudicainus: *omnia quadrupedia vocalia esse*, sive appellaveris sonitum *ELEPHANTI* stridorem, sive vocalitatem *URSIS* murinur, vel *LUPI* ululatum, vel balatum *ovis*, vel denique *MURIS* fissulatum. Quicunque noverit *AQUILAM, LUSCINIAM, PASSERES* esse *vocales*, iusto certius ratiocinatur, candem facultatem habere *STRUTHIUS-CAMELUM & omnium avium minimam TOTORININGUM*

Surinamensem; nec intererit, an *vox avium* vocitetur *cantus*, an *fistulatus*, an *ziuxilulatus*, an *clamor*, an *cucuritio*, an aliter. Ergo contradictionem non involvit, si dixeris: *reliquos pisces* pariter esse *vocales* ac *Physeteres*, voculas piscium vocites vel *clamorem*, vel *stridorem*, vel alio, pro qualitate sonitus, vocabulo. Urgeo adhuc, quod *CREATORIS* summæ sapientiæ sit: *analogiam per omnia inter pisces*, pariter ac inter reliqua animalia, quoru[m]cunque generum & specierum, *intercedere*, omnesque pisces & *loquela* & *auditu*, quantum satis, præditos esse, etiamsi decempeda nostræ rationis nondum (nunquam forsitan) emensi loquelæ auditusque piscium vel modos, vel usus, cum plurimæ res naturales usque dum nobis incognitæ sunt; eoque magis rapimur in zelum, quod benignissimus *CREATOR magnus consilio* homini dato, ut *rerum creatarum, in sui nominis gloriam, rationem habeat, frustretur; & quod plurimi, eheu! indignum dignitatibus suis iudicent, introspicere in opera DEI* sapientissimi, hominesque tanquam otiosos, vanos, prodigos, imbecilli & exili anima minorum gentium instructos diffanant, qui vel illustria corpora universi, vel virtutes sublunarium, vel subditas pedibus suis res quascunque inanimatas, vel plantas, flores, fructusque delectabiles, vel animalia, quæ vocantur irrationalia globi terrauei, circumspecte contemplanda, student, quasi vero *REGUM felicissimus ex auri argenteique immanni copia, ex splendore superbi throni, ex cataphractorum multitudine, reliquisque præmiis vel accidentiis illustribus SAPIENTISSIMUS omnium ore celebretur!* *DEUM* nosse ex *omnipotentia sua & misericordia*, summa sapientia est. Sed modum imponamus zelo; & posito, non concessò, quod quidem pisces auriti, non autem vocales sint, vel vice versa, cum lumbri & plura insecta non nisi duos sensus, tactum scilicet, gustumque habere videntur, absit tamen a me sapientiam *Creatoris* arguere erroris. Non inficias ibit Dominus *Autor*, surdum ex utero, *& si mutus audiat, quod loqui non didicit, vocalem tamen esse, sonosque, quos talis infortunatus edit, aliter esse comparatos, si dolet, aliter si fame laborat, aliter si panem obolumve follicitat, aliter ubi plangit.* Et tamen uti surdus, sic & mutus vocatur, tanquam pisces. Quidni ergo inter vocalitatem *piscium secundi ordinis & latratum Physeterum* talis *relatio* locum haberet, *qualis intercedit inter hominem, quem dicimus insonum & inter*

*ter vocalem*; nec obstat, quod in homine, auribus capto, organa tamen adsint pro loquela, unde est, quod, discipline capax, loqui discat surdus; neque me latent historiæ de *surdis loquentibus* <sup>q</sup>, ex quibus virgo *Hoofmanna* Harlemensis mihi nota fuit. Sufficit, surdum necessarium insonum non esse, nec vice versa, mutum ex utero necessarium surdiorem esse æquoribus. Quicquid autem de piscibus, vulgo cartilagineis, in medium protuli, id pariter de reliquis, vulgo spinosis, intelligendum velim.

## §. X.

Obiicit sibi ipsi Dominus *Autor*: an forte pisces muti in aëre libe- pag. 276  
ro, non vero in elemento, ex quo originem trahunt? quod dubium mihi non displicet, idque ut ampliare, dixerim: *Piuyseteres*, quod pulmonibus, ut alia animalia, gaudent, *in libero aëre vocales, reliquos* pisces, branchiis præditos extra undas, *forte insonos* esse; minimum id extra dubium positum est, quod pisces branchiati in libero aëre vitam diu non trahant, & nonnulli <sup>r</sup> retibus extracti, illico morte extinguantur; in causas vero mortis subitanæ inquire, aberrare proposito foret; interea opinione labore, quod plurimi *pisces secundi ordinis* versus superficiem aquæ, *nonnulli* & in libero aëre, *quandiu madidi* manent, vel humescunt, *vocales* sint, in fundo autem vocalitate forte nec utantur, neque indigeant; *plura infra*. Quod vero Dom. *Autor* passim de piscibus se invicem adversus pericula præmonitibus differit, me iudice, ampla discussione non indiget. *Edentuli* pisces *pro esca* habent *vermes* <sup>s</sup> herbasque pelagias, quæ *amalophyra*, & enixa ab aliis piscibus ova; *dentati* plerumque *sarcophagi* sunt, bella & duella gerentes cum aliis, imo, prout homines sanguinolenti, inter se, ut *Lucius* & plures alii. *Imbecilliores*, ubi non tempestive fuga sibi prospexerint, adversariis in prædam abeunt, nec alia prænunciatione in aquis indigent, quam acie visus; alii, ut *Hystrides*, *Centrisci* &c. non timent hostes; attamen imbecillis quidam,

B 3 sed

<sup>q</sup> Vide THUMMIGII *Versuche* &c. *Eascic. III num. VI de surdis loquentibus*; LE CAT. *Traité des Sens* pag. 74 *sqq.*

<sup>r</sup> Prout Marena *Schoneveldii*, quæ

Trutta <sup>i7</sup> nobis *Miffu V*, *nostratibus* Marene, *Marenichen*.  
<sup>s</sup> Quibus & veseitur *Balaena edentula*, vera, ex cuius ore testa sive laminæ cornex, *Bärden*, *Fischbein*.

sed lepidus pisciculus<sup>t</sup> Cynocephalos, sive voracissimas Lamias, magnæ aliquando molis<sup>u</sup>, prout Hirundo Accipitres, vexat. Quicquid sit, mihi saltim incumbit probatio, pisces adeo in sonos non esse, ut muti dici debeant, sed quod diversos & naturæ suæ convenientes sonos edere possint. Homines loqui dicuntur, sed valent quoque fistulare & crepitare lingua. Orationes pro nobis, loquela pariter pro quibusdam animalibus domesticis, certis verbis modisque loquendi assuefactis. Numne verum? quod *equus canisque fistulatione & poppysmate vel mansueti, vel alacriores reddantur præ oratione;* sonus ille inanis eorum magis convenit, eosque dociliores efficit, quam si philosophico discursu mores illorum vel moderare vel excitare præsumainus.

Si præter *poppysmum* (Schmatzen) nullus aliud sonitus ex ore sufficeret, ne pisces mutos dixeris, quod quidem eiusmodi sonus fieri nequit, quin ad plausum ore commoto, idque opitulante & aëre & aqua. Motu & oris & aëris nos pari modo opus habemus ad plausum<sup>x</sup>; Aqua videtur piscibus privative propria ad ciendos sonos. Verum enim vero, nec nos sine huinido glandularium poppysmata excitare possumus, nedum vociferare. Sic *poppysmata* piscium soni sunt, quibus celebris Senator Hamburgensis Dn. BROCKES tantopere se delectavit<sup>y</sup>. Si quis est, qui unquam observaverit tempus, quo

Cyprini

<sup>t</sup> Remoros, *Acoſte*; Remora, Naufrates &c. *Miffl IV § XXVII. Pilote du Tertre II pag. 224*, cuius festivam historiam vid. ib. saepius lamiae adhaeret, & una cum ipsa capitur.

<sup>u</sup> Vid. dans l' *Hist. de l' acad. roy. des Sciences 1741 p. 25*: *La lamie, qui pesoit près de cent quintaux.*

<sup>x</sup> Conf. Theoriam & antiquiorum & recentiorum de voce humana, in libello memoriali Domini FERREIN de la formation de voix de l' homme, mem. de l' acad. roy. des sciences l' an 1741 pag. 409 suiv.

<sup>y</sup> *Jerdisch Vergn. II. Theil: Der*

**Fischteich:** Man spüret überall ein fröhliches Getümme; es schien auf einmahl zu entstehen ein allgemeiner Krieg von allen gegen alle; wie stund auch sonst ein Fisch, ward doch mit lautem Schalle ein Schmatzen hier gehört, das angenehm zu hören. Forte pisces poppysmate metra modulantur - - - - -. Nec miraris. Ecquis aves canoras docuit symphonias? quis sonos crispare? Quis ranis constituit syntonarium? quo semel bisve audito voculam pronunciante, quam vulgus interpretrare solet: Meister, Meister! totus cœtus

Cyprini foemineæ ova partui vicina enituntur, quæque insequentes mares edito lacte suo, vel spermate aspergunt & foecunda reddunt, utique non sine voluptate, ipsum latere non potest, quanti ac continui tinnitus per tonos & hemitonias audiantur, cum eo tempore pisces sex pluresque uncias alti sub aquis iocantur.

## § XI.

Nisi me *piscatoribus* obseratum, hominemque nimia fiducia erga *Autores* crederet Dominus *Autor*, amplum ipsi catalogum exhibet pescium, quos & *in libero aere sonos* varios edere constat, quamdiu humectati manent. Paucorum quidem mentionem faciam; sic horridas dentibus vocatas *Lamias*, Cynocephalorum maximos, vocem edere, quæ proxime ad latratum *Canis rauci* accedit, & discretis nautis & eruditis peregrinatoribus res expedita audit, variosque *Crayraciones* diversimode vocales esse, experientia docet, in primis quadrangulares (*Missa III*) sive *les Coffers du Tertre*, qui in specie de Porcello maris (cochon de mer) Tom. II pag. 211 testatur: *quand il est pris, il gronde comme un cochon, & c'est qui le fait appeller ainsi*. Meminit & NEUHOFF. Chin. pag. 380 pisces eulantis, *Haiul* vocati. De *Lyra*, *Chromide* &c. videatur BELLON. *aquat.* pag. 209, cuius verba *in frontispicio huius disquisitionis*, & qui vocabulum Vox in stricto sensu sumit; Qui apud nos dubitaverit, adeat *Helenses* & audiatur *Coriftionem*<sup>z</sup>, qui species est *Scorpis* pescis, egregie *cucurire*, unde ipsi nomen: Galli marini. *Anguillas* ipsemet in Scania ad aulam Illustrissimi Gubernatoris Provincie locum tenentis, Domini de Skytte

tus emodulate 'coaxat, cum ipso quoque finem musicæ ponens. Nostrarium enim homines, ex vulgo, curiosi, colloquium inter ranas intercedere singunt: Incipit *Syntonarius*, appellans pistorum contubernii magistrum: *Meister, Meister!* post susprium, pergit *Syntonarius*: *wenn ehr war wy bacen* (quando panis coquendus?) responderet *magister*: <sup>z</sup> *Morgen, morgen* (cras, cras) tunc

omnes contuberniales contermini exclamant: *denn bac' öf', öf', öf' oof!* <sup>z</sup> *denn bac' öf', öf', öf' oof! ic.* (tunc & ego, & ego, & ego, pinsam). Tandem *Syntonarius* intonatus: *sat, sat!* (satis est, sat est) illico totus cœtus conticescit. Sic coaxatio populi oratiuncula audit, æquata cum vocalis humani sermonis. Qui XI est, *missa IV Tab. XIII f. 2,* & 3.

Skytte p. m. in prædio Rabloff ( haud procul a civitate Christiana ) plus una vice *fistulantes ut glires*, quando a viverra maestantur, audivi. Imo ad pisces nostros delicatulos ( Schmerlinge ) vulgo Cobitides fluviatiles, sive Simerlas, provoco; hi, quodsi vel aceto vel vino ante necari velint, quam cacabo immittuntur, clara voce *sibilant*, *ut murres*, ne dicam de pluribus vocalibus, qui a *sonis*, quos edunt, *generica nomina* in Ichtyologia obtinuerunt, deque aliis, quorun *ÆLIANUS*, *PLINIUS*, plures auctores, mentionem faciunt. Miramur itaque, Dominum Autorem non pensasse iustum *retorsionem insignis præiudicij*: Pisces esse absolute mutos.

### §. XII.

Tantum autem abest, ut vincetas dedisset manus, quin potius media conquirat, *thesin suam*, omnibus viribus acceptam reddere. Inter alia urget: *pisces carere muscularis*, quibus aër expellendus, quodque motus involutarii orirentur, sive vociferare allaborarent; pessum enim ire cogerentur, si expellant aërem, vel reassumto aëre, ut denuo vociferarent, tollerentur, præter opinionem, in altum. Quasi vero pisces vesica natatoria ad vociferationes opus habeat, revera vociferare si posset; & lubenter ex Domino Autore scirem, quo emittat aërem pisces, & unde rursus impleat vesicam aëream, quoties vel in profundum se præcipitet, vel in altum tollatur, continuo motu; & unde sit, quod nonnulli pisces *duplici*, alii vero *simplici vesica* natatoria prædicti, ut æquilibrium in aqua servent? Sed hæc omnia non sunt huius loci. Satius duco, quod pisces sonum faciens, non nisi *opercula* branchiarum *comprimat*, vel spiracula claudat, ni crederes ( quod nec collum nec tracheam habet ) pisces ex stomacho, gulæ continuo, aërem pro sono depromere; quod risum moveret. Cum insuper Dominum Autorem pisibus *sensum odorandi* non denegasse deprehendo, meatus autem olsactus in pisibus sat patuli prostant, haud difficulter comprehendimus, pisces vel per *nares sonoras* esse, cum & nos plurimum per nares distincta verba loquimur, etiamsi vulgo paradoxon audiat: *loqui per nares*; & cum vel nares sufficerent ad sonos ciendos, opus non habuisset Dominus Autor, investigare organa ibi, ubi nulla adsunt, quibus mediantibus pisces vocales redde-rentur, vel de muscularis pro expellendo aëre, nescio unde, verba facere, his vero nullibi inventis, pisces mutos, &, quod *muti sunt*, surdos etiam iudicare.

### § XIII.

## § XIII.

Pergit clariss. *Autor*, & nullius momenti fore pronunciat, vel pag. 277  
 plane tollit utilitatem, quam pisces ex facultate audiendi trahere pos-  
 sent, nisi forte dixeris, pisces, qui muti, ciendo strepitus, sibi in-  
 vicem de periculis cavere, ubi haec aures pulsaverint; cum tamen  
 neque hoc commodum ullius usus foret; præfigiens, pisces ante de-  
 voratos, quam eiusmodi strepitus sibi communicassent; quodque in-  
 super pisces, cum stupida animalia præ reliquis irrationalibus sint <sup>a</sup>,  
 de certo signo præmonitionis inter se convenire nesciant, neque socia-  
 litatem colere didicerint, nec opera aphrodisiaca cum aliis animalibus  
 communia habeant, non oscitantes, non columbatim rostra conferen-  
 tes rostris, ad avium instar, ut salacitatem in ore sentiant, neque ulla  
 cura proli suæ prospicientes; ideo *Autor*, ne in longum & latum ab-  
 erret, comportando plures probationes, nos certiores esse iubet:  
 Pisces auditu commode carere.

## § XIV.

Certe, cum in piscium historia amplissima non sufficienter ver-  
 satus sit Dominus *Autor*, miramur, quod tamen piscium *opera aphro-*  
*disiaca* observata velit. Physteres sunt & maneunt pisces; hi pisces  
*opera illa solennibus ritibus* sibi invicem *præstant*; *Congrediuntur*,  
 ope pinnæ caudæ horizontalis (cum aliis piscibus sit verticalis aut te-  
 retiuscula) *erecti*, in superficie aquæ, se invicem amplexati pinnis  
 lateralibus, quibus pro spinis quinque ossæ & articulati digiti sunt,  
 crasso glabroque corio communi tecti; *pariunt pullos vivos*, quadru-  
 pedum more; *cattuli* matrem sequuntur, *lac* ex singularibus glandulis,  
 vulvæ vicinis, profluens excipientes; oborta tempestate, *mater pro-*  
*lem* in vastissimum *richtum* recipit & contra pericula sovet; ac quæ  
 reliqua. Nonne haec sat egregia sunt documenta operum aphrodisia-  
 corum, simulque sollicitudinis maternæ pro pullis? Aliter quadan-  
 tenus sese res habet *circa* plurimos pisces, qui vocantur *cartilaginei*,  
 (bran-

<sup>a</sup> Dominus LE CAT causam stupidita-  
 tis ponit in eo, quod pisces careant  
 cochlea: sans le limacon qu'ont ces  
 animaux, on les verrait stupides en ce  
 genre, comme le poissans, qui man-

quent de limacon, aussi bien que les  
 oiseaux, mais qui n'ont pas, comme  
 ceux ci l'avantage d'avoir une tête  
 assez dégagée, assez sonore, pour sup-  
 pler à ce défaut.

(*branchiis occultis*) quod quidem, ut illi, vivos pariant catulos, h̄i vero ex ovo intra corpus excludantur; nonnulli catuli, ex. gr. *Vulpes marini* ex *genere galeorum*, imminentibus periculis, matris in ventrem per os intrant; & *Raiæ* mares duplicitibus membris genitalibus, totidemque uteris fœminæ, gaudent. *Reliqui pisces*, vulgo *spinoſi* (*branchiis apertis*) ova matura ex ovario emituntur innumera, quæ mares illico lacte vel semine irrorant fœcundantque. Sane, quod pisces hoc processu sunt occupatissimi, natura procul dubio utriusque sexui peculiarem sumمامque de aëtibus talibus conciliavit voluptatem. De singulis passim plura in *Missibus quinque* in specie *Missu III*, ubi de partibus genitalibus *Raiæ* maris, & ovario *Galei*.

### § XV.

<sup>pag. 273.</sup> Ut autem comprobet Dominus *Autor*, pisces (modo *mutos surdosque*) & cominode auditu carere posse, illis *aciem visus* & *renidentiam corporum*, qua noctu pollent, sufficere ait; unde etiam est, quod opinetur, *non dormire pisces*, sed & noctu cibatum ire, cognitaque perexigua esca hamis imposita, noctu capi; *visum* itaque *facto* <sup>pag. 279.</sup> *Creatoris*, *supplere* denegatum *sensum auditus* & *carentiam loquela*, non obstante audita aliquando narratione, quod *anguille* vociferatione valeant; hanc opinionem putat enatam ex *bullis aëreis*, saepissime a piscibus in altum abeuntibus, inque superficie aquæ displosis, quales bullulae & capitibus piscium adhaerere & non nihil stridoris excitare solent, vel etiam in maiorem sonitum erumpunt, ubi frequentissimæ sunt. Sic nihil infringere thesin suam putat: Le poisson est muet; cum vero haec ipsa thesis alteri; que le poisson est sourd, conciliaverit semiprobationem, imo, quod extra dubium posuisse confidit, pisces auditu non indigere, idcirca sibi non nisi probacionem incumbere sustinet clarissim. *Autor*: Pisces & factio ipso non audire.

### § XVI.

Motum & quietem omnibus omnino corporibus competere, Mathematici in physicis docent. In historia animalium versantes, generaliter verum esse dicimus, omnia animalia, quod moveantur, & quiete, quæ cum somno convenient, opus habere. *Muscæ*, *Hirundines*, *Pisces*, ut plura animalia taceant, a primo mane in serum vesperem

vesperem moventur, vagantur; *indigent itaque pisces cum illis quiete*, quæ vel prope ad somnum accedat; alia animalia, quæ noctu moventur, interdiu quiescunt; quamdiu autem *piscis quiescat*, determinare non ausim. Hoc pro certo assūnere dignetur Dominus Autor, ut pote rationi & experientiæ consonum, omnes pisces pulmonibus præditos reliquosque, qui ferventem sanguinem habent, revera dormire, expositis aëri libero naribus ob respirandi facilitatem; sic nec reliquis piscibus, quorum historia adhuc manca, quietem noctu, somno analogam, facile denegaturus. Quod vero pisces noctu hamis capiantur, hallucinationem sapit; sic probatio deficit, pisces in tenebris vel minimam escam cernere, visuque reliqua animalia antecellere, ut neque dormiant, vel quiescant, sed cibatum eant. Sciendum enim est, piscaiores hamos vespere non eiicere, ut pisces noctu capiant hamis, sed *ut pisces primo mane escam præ se habeant*; aliter enim, vel aurora imminente, hamos iusto tardius proiicerent piscaiores docti, piscesque capiendo longissime ab hamis fugarent. Sed unde est, quod tamen noctu retibus venentur? quod scilicet experientia piscaiores docuit, pisces retia noctu non animadvertere, prout interdiu, aqua clarissima; piscesque etsi conturbatos retibus, tamen, quo se vertant, non perspicere, sed fugitivos eo citius aliquando in retia illabi. Nocturna denique piscaatio probat, pisces in consuetis tractibus per familias congregatos, solita quiete uti, & neque singulos, neque gregatim vagari de cibo noctu sollicitos, quodque maiori copia noctu capiantur, ac interdiu; unde est, quod *Romani Apitii*, pro certis piscaitoribus noctu solitis, retro retia flammas excitaverint, ut lumina petentes pisces facilius irretiti fuerint; quo stratagemate & venatores Anguillarum & Astacorum in Cassubia nostra felici successu utuntur. Sic constat, *pisces noctu escam non cernere*, prout *ululas* in horreis mures <sup>b</sup>. Divus Petrus, ante piscaitor quam ad Apostolatum a Servatore humani generis vocatus, artem piscaitoriam ex professio coluit;

## C 2 unde

b Nolumus multa verba facere de pisibus spinosis, qua ratione dormiant, nec in specie de *Exoceto*, cui nomen ἀπὸ τῆς ἔξω κοῖταν, quod extra aquam in sicco dormire dicatur, de quo PLINIUS Lib. IX cap. 19:

miratur Arcadia Exoccetum suum,  
appellatum ab eo, quod in siccum,  
sonni causa, exeat. SELEUCUS  
TARSENSIS apud Atheneum, & OR-  
PIANUS tradiderunt: Scarum e pi-  
scibus solum dormire; GESNERUS  
&

unde est, quod paradoxon ipsi audierit mandatum *magistri marium*, ut in alto mari proiiceret retia pro capienda piscium multitudine, sole omnes aque particulas speculares minimas & diversimodas quascunque illuminante, cum tamen in tenebrosis undis noctu, ne unicum quidem piscium (forsan aliquos nullius momenti) ceperat PETRUS. Domino Autori calculum meum addo, pisces interdiu acuto pollere visu; de bullis autem piscium aëreis, ad quas provocat autor, eorumque effectibus, simul de generatione bullarum aquearum & de fluido elasto aëre subtiliore bullasque expandente, hesito hoc loco, cum principibus de re physica, mentem meam explicare; quodque ad Anguillas attinet, proprias iam observationes circa earum vocalitatem, bene auritus (§ XI) retuli. Renidentiam piscium, nec tamen omnium, concedo, sed alienam ab igne fatuo phosphorascente ligni putridi in cellis; nitorque, qui navigantibus aliquando oculos ferit, non est huius loci. Quicquid sit, Dominus Autor ex eo, quod pisces mutos iudicat, derivat probabilitatem: & surdos esse, medio quasi termino assument, quod neque sensu audiendi indigeant. Restat percipere, quibuscum rationibus militet pro confirmanda propositione: Pisces revera non audire, quod audire non possunt.

### § XVII.

- <sup>pag. 279.</sup> Huic propositioni Dominus Autor questiones duas præmittit 1) an pisces auriculas (auricles) habeant, vel simile quid? 2) utrum branchiae ita sint comparatae, ut ipsis sonus imprimi possit? ad ambas negative respondet; concedit quidem inter branchias & pulmones intercedere analogiam quandam, branchiasque piscibus sic necessarias esse, ac pulmones, arteriamque asperam (*trachée artere*) reliquis animalibus; verum in branchiis nihil offendit dicit, quod sensui auditus inserviret, nullam scilicet concavitatem (*concavité*) non tympanum reliquaque
- <sup>pag. 280.</sup>

& alios pisces dormire vult; WILCOXIBETO hoc verisimile non videtur, cum nec palpebras habeant, nec membranas niectorias, quibus oculos claudere possunt.  
Possem Dom. Autori tertiam questionem supplantare, an 3) *Affaci audiunt*, quod vel pulmonibus vel

branchiis organa habent analogia? que τὰ βρενχιοειδῆ, veluti ex pilis multis compactae branchiae, quæque aliud moventur, ab ARISTOTELI Lib. III appellantur; & a RONDELETIO: pulmonum munere, tamen vicaria organa, defungentes; vid. *Praelud. de crust.* § I.

reliquaque partes ad auditum necessarias. Addit, quod insuper plurimæ branchiæ operculis sint clausæ, per intervalla licet mobilibus, piscesque quidem sine branchiis vitam trahere non posse, si quis vero dixerit, *pisces per branchias audire*, fieri id aliter non posse, nisi *in-epio modo loquendi*, ( à batons rompus ) prout inepta locutio est, hominem audire ope digitii auricularis, quo vellicaret aures. Sane, plane singulares de branchiis notiones!

### § XVIII.

Utique ineptum dixerim, qui *pisces per branchias audire* velit; reliqua, si me iubeat Dominus *Autor*, concedam; & tamen pisces non sunt surdi; nullus dubitans, quin aliquando in meas partes sit iturus, postquam comprobaverim thesin: Pisces capaces esse ad auditum. Perinde mihi erit, si prepostere, me ineptire, pronutiarerit, vel si præiudicio laborare contendat; quod malum hereditarium Domino *Autori* stomachum valde movet. Præter expectatio-<sup>pag. 274.</sup> nem brevibus me expediam, probationes Domini *Autoris*, pisces esse surdos, minoris ponderis deprehendens, præ illis, quibus *vocabilitatem* piscium abolere allaboravit.<sup>& 282.</sup>

### § XIX.

Inscius vel invitus clariss. *Autor* ( § I, II, III, IV ) agnovit, & *PHYSETERES* in specie esse *PISCES*, ac recte ( § XVII ) ait, nec illos, nec reliquos habere *auriculas*; addo: quod *Physeteres neque branchiis* gaudeant. Iam vero pertinacissimus & præiudicio obsecratus audiam, sustinens: audire pisces non solum auriculis, sed & branchiis carentes; nec mirarer reprehensionem, nam Dominus *Autor* urgeret, *pisces illos esse surdos, quia non habent vel aures vel branchias*. *Physeteres*, pulmonibus preditos esse, non branchiis, supra ostendi, ubi sermo fuit de *loqua*, sive facultate sonitum edendi. Sed ita me hercules iuvet, nulla mihi amplius res est vel cum *pulmonibus*, vel cum *branchiis*, ubi *questio* est de *auditu*. Mitto itaque & branchias & pulmones, nihil porro ad disquisitionem facientes.

### § XX.

Quod autem Dominus *Autor*, & quidem recte, negaverit piscium auriculas, idem est, ac si dixisset: animalia, que organis ad auditum externis carent, audire non posse. Notandum autem venit,

## DE SONO ET

*Autorum per auriculas, (auricules) intelligere aures integras exteras, quarum pars superior pinna seu ala, inferior lobus, seu proprie auricula dicitur. Quicquid sit, Angues, Rane, Chamæleones & alia ex genere Lacertorum, neque aures, neque alteram particulam auris, scilicet auriculam habent, & tamen audire possunt; porro, Physeteres omnesque pisces, neque auribus, neque auriculis gaudent; mirum sicubi præ illis surdi essent. Ulterius: Angues, Rane &c. carent quideam auribus & auriculis, sed habent meatus auditorios, unde est, quod audiant; pisces illas pariter non habent, certo certius autem hos; si vero omnes meatibus auditoriis sunt instructi, omnes quoque facultatem audiendi habent; prius negari nequit, ergo posterius non est absurdum, vel in præjudicio radicatum. Angues denique & Rane habent sua organa auditus interna, ad quæ fertur meatus auditorius; & pisces sua organa interna habent. Quadrupedum organa inter se differunt, prout organa Serpentum vel Ranarum, respectum habent ad organa Boum, vel vice versa; piscium organa inter se differunt, uti se habent spinosorum organa ad organa cartilagineorum, ambo-ruinque organa ad organa Physeterum. Ergo omnium animalium organa audiendi sibi invicem analogica sunt; ergo operationes organorum cerebro sunt communicabiles; ergo omnium animalium, secundum naturas suas, sensus auditus perfectus redditur, ut recte audiant; addo, quod omnia animalia, quicquid audient, perfecte & acute audiant, aures licet non habeant, sed poros auditorios extreme angustos, ast patulos, perviosque.*

## § XXI.

Forsitan Dominus Autor, non Angulum, Ranarum, Crocodilorum, aliorumque Lacertorum auditum negaturus, me, quod de organis piscium dixi, gratis in medium protulisse suspicaretur; itaque mihi incumbit, asserta extra dubium ponere. *Balena, Narwhal, & Delphaces* (omnes pisces pulmonibus praediti; sive Physeteres) aures non habent, ex concessis; quod autem meatus auditorios habeant, quorum aperturæ minutissimæ, sole clarius demonstravi, *Miss. I ad anatomen Phocenæ*, ipsumque meatum ostendi *Tab. V fig. 1 litt. a, b.* *Conf. Miss. II Tab. III fig. B lit. b*, nec non *Tursonis os petrosum*, reliquaque organa auditus separatim. Ne autem fidem meam suspetat Dominus Autor, consulat ea propter *Maiores E. N. C.*

*G. Dec.*

*G. Dec. An. III, & Tysonis anatomy of a Porpeſſ.* Neminem negligenter arguerem, qui, postquam tempus perdiſerit in investiganda apertura pori, tandem rei querendæ impatiens, crediderit, ſe ita non habere. Ipſe PLINIUS hæſitat, quid de auditu Delphacum dicendum; audiamus iſum: *Delphinum audire, manifestum eſt - - quanam audiant mirum; & RAIUS; nullum meatum neque ad odorandum, (quem tamen vide in alleg. Miffu I) neque ad audiendum babet, ſi Aristoteli credimus, cum tamen odorari & audire certum eſt.* Idem in *Transact. philos.*: *We observed not in this fish any ear-holes or meatus auditorii (loquitur de Phocæna).* Aliter TYSON: *'t is true, they have no auriculae - and the porus auditorius is extream minute and ſmall.* Sic non ſatis exercitatus iuraret, *Phyſeteres*, quod auribus carent, nec poro auditorio præditos, confequerter ſurdos eſſe, cum tamen omnes & meatu & reliquis organis ad auditum gaudeant; habebunt ergo & nervos auditorios, cum nec cerebro carent; ergo audiunt mediante anguſtissimo poro auditorio, & quidem, ut opinione non vana ducor, ſic acute, prout *Talpa* extreme parvulis oculis, me iudice, acutissimo valet viſu, vel prout extreme parvulae lentes, vel globuli vitrei in abſolutiſſima microſcopia exēunt. Itaque Dominus Autor ſuperſedere potuifſet (§ VI) inculpatione, *auditum pifcium a præiudicio pifcatorum incrementum fumfiffe*, quorum autoritate Naturaliſtæ, quos vocat, temere capti.

### § XXII.

Res iam expedita eſt quoad *Phyſeteres*, pifces nimirum, qui pulmonibꝫ gaudent, quod nec muti ſint, nec ſurdi. His vulgo adnumerari ſolent *Phocæ See-Hunde*, *Manati*, *Rofmarus* ſive mors *Gefn. Wormii*, *Monti* & plura amphibia (vel ſemiampibia, vid. not. <sup>d</sup>) quod non citra littora in ſiccum exēunt, ſed communiter in ſaxa ex aquis ſcandunt ad dormiendum, congregandiendum & pariendum. Eiusmodi animalia, eti pifces non ſint, non tamen aures externas habent, ſed anguſtos meatus auditorios, Phyſeterum poris ſimiles & exquifeite audiunt, ut diſſicuſter caperentur, niſi alto ſomno ſepulta. Neque *Teſtudo* gaudent auribus, nihilominus tamen, prout *Rana*, bene eſt aurita. Experiamur modo, an & *cartilagineis spinofisque pifcibus*, cum adeo muti non ſint, (§ X, XI, XII,) ſenſum auditus, quo a Domino *Autor*e ſunt privati, vindicare integrum nobis foret.

### § XXIII.

## § XXIII.

Nullo tempore mihi persuadere potui, *unicos Physeteres pulmonibus præditos, auritos, pisces vero branchiatos surdos esse* (§ XX) quod cum ratione non convenire cogitabam, *quadrupedia pilosa*, evidenter aurita nosse, *squamata*, vel *cutacea* vero quadrupedia, etiam si aures externas non habeant, surda credere. Ab Ichthyologis aliisque Physicis celeberrimis, qui obiter hanc materiam tractarunt, parum solatii reportabam, præter id, quod plurimi dixerint: *audire pisces; e contra alii, inter quos & Dominus Autor, quod surdi sint.* Comiserabar miseris piscibus, infornunate surdos declarandis. Alto tamen hærebat animo, quod, cum maximis sub sole reperibilibus animalibus, ut sunt Balenæ, sensus auditus perfectus non deficit, nec minoris molis piscibus eundem sensum desuturum, tam quod ex uno eodemque elemento omnes originem trahunt, in quo & degunt, vitamque agunt, quam quod nulla sufficiens ratio excogitari potest, quæ sapientissimum Creatorem moverit, *bis præ illis non nisi quatuor*, vel (quod *visus* etiam *odoratum* excludere potuisset, neque necessario escam *gustarent* pisces, dummodo nutrimenta & incrementa caperent) *duos* saltim, *visus* nimirum & *tactus* sensus largitum esse, unde facile suspicio vel impotentia vel imperfectionis animis nostris obrepere potuisset; talia vero de Creatore vel cogitare, prout absurdum, sic piaculum est. Quod insuper *quatuor* sensus: *visus, auditus, gustus & odoratus* cum excellentissimo sensu *tactus* adeo arcte coniuncti sunt, ut sine hoc sensus non essent reliqui, mecum convenire non potui, pauperare tactus sensum (qui quamdiu adest, de vita animalis testatur) adeo, ut non nisi unico vel duobus ex reliquis sensibus coniunctum circumscriberem.

## § XXIV.

Agitabantur consilia, & in mentem veniebat ratio, qua *respirant* pisces, licet diversa, quoad organa ad respirationem necessaria; quod nimirum Physeteres respirent pulmonibus, reliqui branchiis pulmonium æmulis; idem sentiebam de organis auditus, in capitibus piscium necessario querendis, quod nihil obstabat, quo minus pisces cartilaginei & spinosi *organa audiendi* haberent Physeterum organis analogica, id est, quæ idem præstent, quod illa; intercedebat & *analogia generationis* piscium; notum erat, Physeteres, prout quadrupedia congregari,

congredi (§ XIV) vivosque edere catulos; idem cognitum de plurimis cartilagineis, ratione licet diversa, ex. gr. quod Raia duobus genitalibus gaudeat membris, totidemque ovarii & uteris; quod catuli intra vaginam, ex corneo plerunque ovo, & circiter ut Viperæ pulli, ante excludantur, quam vivi prodeant; alii, ut Galeus asterias, catulos pariant vivos modo alio (*Missu III*, & *in Additamento Missu IV pag. 61*) reliqui vero pisces spinosi non, quod sciamus, congrediantur, sed ova emitantur, super quæ mares illico lac suum fundunt, ut ex ovis imprægnatis extra ovarium & derelictis generetur proles; quæ quidem ratio generationis diversa, sive sistema ovulorum, sive animalculorum adoptavero, ad uitum scopum tendit, quod propagacionem generum & specierum promovet. Sic denique Physteteres pro spinis & cartilagineibus ossa habent, & pro pinnis lateralibus, corio detracto, ossa articulata ad digitorum instar, secus ac in reliquis pisibus, cum tamen omnes eiusmodi instrumentis pro remis utantur; & quæ similitudines atque analogiae plures.

### § XXV.

Iam vero multum audiveram legeramque de *lapillis in craniis piscium*, intercedentibus haud paucis narrationibus quandoque mirabilibus, quæ me saepius morosum reddiderunt, quod non cœca me rapi cupiditate patior ad fidem, sed quidem intimis sensibus angor, si quando aniles fabulas offendeo, ubi veritatem invenire putassem. Non me plane latebant geneses *calculatorum vesicæ*, renum, folliculi fellis, stomachi, ægagropilarum, lapillorum pulmonum *ex pure apoflematis*, vel *vomice*, vitio sanguinis heterogonei excitato, non a particulis terreis, quæ in sanguine (prout nuperrime legi) circumaguntur, generatorum, & qui plures nomine lapidum communiter nobis exhibentur; phænomena sane onerosa, plerumque lethifera, non omnibus hominibus & animalibus, licet multis, communia; e contra pro certo neveram, omnes, præter Physteteres, *pisces lapillos in capite* habere, qui cum ipsis ex ovo prodeunt, ad certainus usque magnitudinem cum ipsis crescunt<sup>d</sup>, cumque ipsis desinunt & intereunt,

<sup>d</sup> Aliter se se rem habere iuxta officia auditus quadrupedum, quæ aug-

menta non capiant, Anatomici docent. Eorum nonnulli falluntur

## DE SONO ET

eunt, qui neutiquam vel forinsecus vel intrinsecus sive *ex pastu*, sive *ex potu* generati in capitibus deponuntur, sed miro modo stationes, situsque suos immutabiles, latebras singulares, compagines & ligamenta habent, nervis simillima, cumque cerebro communicata, ac quæ reliqua. Illud ignorabam, plures dari (ex. gr. in *Astellis*, *Cyprinis*, *Percis*) quam duos, pharmacopolis notos; suspicabar autem plures, & ecce, investigando duo paria inventa, demumque tertium par, quod venabar, cepi. Lucii tandem caput, mollesque cranii partes & nudis oculis, & sub microscopio introspiciens, detxi poros auditorios; breviter eiusmodi nexus plexusque, ut mihi persuaferim, tria lapillorum paria ad organa auditus referenda esse. Tunc demum & priscos & recentiores consulebam autores. SEVERINUS mentionem facit lapilli malleo respondentis sensus percussorio; CHARLETONUS nervorum auditoriorum, vesicularum tenuissimarum, quæ aquosæ, & in quibus ossicula duo auditoria; CASSERIUS & tertii lapilli, ossis lenticularis titulo, meminit; GERINGIUS *dissertat. de Piscibus, Upsal.* 1727, quorundam piscium lapillos recenset, & in fine dissertationis, lapillos cephalicos Lucii, sed minus distincte, exhibet, simul ac organa auditus & odoratus; cum CASSERIO faciens, qui meatus odoratus & organa auditus esse autumat. Plures mihi non noti, qui proxime ad auditum piscium accesserint. Lapillos ipsos 30 vel 40 piscium in cera nigra libello ex orichalco facto immissa collectos, Societati physicæ experimentalis Gedanensi appropriavi. Dignetur Dominus *Autor*, si libet, *Missum I* tabulasque adiunctas amica manu volvere, perlustrare, & perpendere, utrum præiudicio vel pescatorum vel proprio laboraverim, sustinens, pisces *cartilagineos* & *spinulosos* habere organa auditus analoga organis audiendi *Physeterum*; ideoque non esse surdos. Quodsi severius examinaverit & detecta crania, & exhibitas partes molles, meque offenderit commississime errores, in viam me reducere velit, rogo, animique sui sensa explicare, cui usui forte forent lapilli cephalici cum adiunctis, si ad organa auditus nullatenus pertinerent;

iuxta ossicula simiarum, quibus hæc animalia carere dicuntur. Vid. *Observationes physiques Tom. III pag. 278, LECAT pag. 57 & 67.*

Sed caveat clariss. *Autor*, ne præiudicium capiat vel a PLINIO vel a RONDELETIO, quos magnifico. Ille enim putat, prægelidam hycmem

pertinerent; rem non solum mihi, sed omnibus, spero, Historiæ Naturalis Cultoribus faceret gratissimam.

## § XXVI.

Reliqua prosequar, quæ Domino *Autori* pro tollendo piscium pag. 230. auditus sensu superaddere placuit. Opinatur, fieri non posse, ut audiāt, quia, in quo degunt pisces, elementum adæquatum non est, ad producendum sonum, quod nec tantillum aëris, & si commoti, in aqua id efficere possit: *Scholion* addens: Aërem in interficiis detineri, neque citius undulatione ipsius aquæ transmitti posse; imo sonum in aqua adeo labefactari, ut violento terræ motu opus esset, ad excitandam vel minimam impressionem. Hoc experimento comprobari suadet: *Si scilicet, caput pedem altius aquæ immerseris, nihil auditurus, præter impetum æstuosum (bourdonnement) etiam si in libero aëre, nescio quos, graves tumultus excitari iusserris;* hunc strepitum æstuosum, aqua licet ad excessum mota, ne ultimo quidem gradu diminutum iri dicit; unde infert, aquam minus aptam esse, ut generaret sensationem soni, vel ut aër externum sonum per aquam ad aurem devehere possit; Cum econtra extra aquam, aëre tranquillo, sonus in longum & latum percipiatur; quo experimento co-

D 2 probare

mem omnes sentire pisces, sed maxime qui lapidem in capite existimantur habere, ut Lupi & Pagri; cumque asperi fuerint hyemes, multos capi cœcos. Ob lapides enim a frigore, inquit RONDELETIUS, congelantur & moriuntur; qua de causa frigoris vi mortuos sœpe in suis stagnis reperiri, pescatores testantur; additque quandoquidem, qui in abditis gurgitibus hyeme carrent, minus a frigore lœduntur, nec hyeme moriuntur, etiam si lapides habent in cerebro. (ubi ego nullos offendit,) ut Soleæ, Passeres, Aselli, Coracini, Scari Lati, Umbræ, Hepati -- *Rectius*, quod sub nimia glacie pisces

ob defœctum liberi aëris, non ex fri-  
gore, moriantur, neque ex lapidi-  
bus in cranio, congelato cerebro.  
R U M P H. *Mus. Amboin.* pag. 317.  
omnibus fere piscibus lapillos, sed  
non nisi duos adjudicat. Non di-  
cam de Aurata & Dentalis piscium  
lapillis, (*Missu I § XXXI.*) deque la-  
pidibus Sancti Petri (*ib: § XXXII.*)  
cum pescem innominatum, in cuius  
ore Div. Petrus staterum (*Matth.*  
*XVII.* 26,) deprehendit, nemo inter-  
pretum ex animo & iudicato indigitare,  
nendum describere ausus est.  
Nonnulla de his lapidibus vid. in  
*Commerc. literar. Norimb.* 1736 num.  
217 & 297; 1739 pag. 209 sequ.

probare putat, renitentiam aquæ ferme æqualem esse resistentiæ, quam *planum marmoreum* habet.

### § XXVII.

Ita est, ante omnia certiores simus, utrum pisces habeant *organa ad excitandum sensum auditus*, & utrum *locus*, quo degunt, natura sua, *ita sit comparatus*, ut *soni* ad aures *transmitti* queant; quippe Sonus nihil aliud est, quam tremulus sonoro corpori impressus, aëri-que ambienti communicatus, & ad aurem internam delatus motus; cuius medium utique elasticum esse debet: uno vel altero deficiente, pro certo affirmamus, pisces *non audire*; non vero sufficit, simpliciter negare organa ad audiendum, quia nullum signum externum, quod *auris* dicitur, deprehenditur; fallit fidem, quod ideo nec organa interna adsint auditui adæquata. Si e castris profugo aures externe præscinderentur, mansura tamen organa ad audiendum interna, meatusque auditorius, ut applicatis auribus artificialibus acutius forte audire possit, ac antea, auribus integris. Iam vero extra dubium posuisse confido, quod Physteres, etiæ externis auribus careant, tamen organis internis omnibus & poro auditorio gaudeant, quadrupedibus & ipsi homini consuetis; & quod ad reliquos pisces attinet, nec hos quidem auritos esse, sed poros pariter habere auditorios ac illi habent, ad admittendos sonos in aurem internam, cuius primaria organa sunt corpuscula sonora, vel *mallei*, vel *incudis*, vel *stapedis*, reliquorum animalium vicaria. Sic non dicis gratia affirmavi, quod simpliciter negavit Dominus *Autor*, horum enim piscium organa ad eandem ferme certitudinem sunt redacta, ac Physterum organa. Quod autem natura nihil faciat frustra, & quod brevissima via semper utatur iuxta operationes suas, prout Physicis constare potest, mox vel coniectura consequi licet, elementum, in quo pisces vitam trahunt ex ovo (aquam scilicet) sic comparatum esse, ut piscibus transmissionem soni & sensationem audiendi non præcludat; quippe piscibus in rem suam nihil conducerent organa ad auditum, si elementum, in quo degunt, auditu pisces prohiberet; contradictionem enim involvit, habere facultatem audiendi pisces, neutquam tamen audire, sed surdos esse. *Odoratum* nemo haec tenus piscibus interdixit; si vero odor naso obsequitur, in aqua produci & transmitti potest. Exempla piscium olfacentium vide apud CAROL. FRANC. COPPINI *prigioni* & *morte dellii pesci in Roma 1655*, 16mo pag. 100, 101 & passim.

### § XXVIII.

## § XXVIII.

Sic experimentum, quod *Autor* (*§ XXVI*) suadet pro firmando thesi sua: *non transire vel trasmitti sonos per aquam*, non valet; nimium enim probat: scilicet, hominem caput, inverso ordine naturæ, aquæ immittem, sentire æstum aquæ impetuosum & præternaturalem. Nonne homo, manibus obambulans, pedibus in altum erectis, in statu præternaturali est constitutus, aliaque phænomena in tali statu experitur præ homine, pedibus ambulante? itaque experimentum illud nihil aliud probat, *præter sensationem apparentis aestus impetuosi*, æquore licet tranquillo. Facto Domini *Autoris* opponam factum celeber. Domini Abbatis de NOLLET, quod *publice die 24 Aprilis 1743 in Regia Scientiarum Academia Parisina* recitavit ex libello memoriali: *sur l' Oie des Poissons & sur la transmission de Son dans l' Eau*, nondum typis in *História Regiæ Academiæ* expressum.

*Ipsè piscis factus*, postquam per solennes circumstantias consuetudinem contraxisset, ut integro corpore duos pedes altus sub aqua, plus simplici vice, commoratus sit; Data experimenti, breviter sequentia connotaverim:

- 1) Quatuor uncias sub aqua, audivit sclopetum marsupiale, horologium, & corniculum, quo venatores utuntur, erectum, sive orthoceraton.
- 2) Denuo audivit eadem 8 uncias, 12 & 18 uncias, ad usque duos pedes altus sub unda; nec non vocem humanam.
- 3) Excitari fecit in diversis altitudinibus ad usque duorum pedum sonos mixtos, uti ex duabus campanis, duabus fistulis, optime distinguendos.
- 4) Bona voce pronunciata verba humana ita distinetè audivit, ut extra aquam constitutus, intellectas sub aqua articulationes singulas recitaverit.
- 5) Omnes sonos, quos persentivit, se iudice, quasi attenuatos agnovit, dicere non potens, quod variantiam passi fuerint.
- 6) Pro posse conserendo eundem sonum cum profunditatibus successive 4 & 18 unciarum, differentias non persensit proportionatas voluminibus aquæ, id est, summa diminutio soni ad 4 & 18 uncias altitudinis sub aqua proportionata non fuit profunditati, qua perceptus sonus.

- 7) Observans, quod explosi sclopeti sonus tantum non valuerit, quantum soni continuati, audivit postea in eadem profunditate & simplicem tympanismum, & continuatum, sive rotatum pulsū tympani sonum (Wirbel). Idem expertus est circa vocem humanam & circa fistulam; verum, quod de tali experientia, tanquam facile fallaci, adeo non prout de reliquis convictus celeberrimus *Observator*, idcirco pro absoluta hanc nondum venditare voluit.
- 8) Iam vero capite in extrema ferme superficie aquæ (*à fleur d'eau*) constitutus horas repetendo indicantis horologii, quod aliquot uncias supra caput tenebatur, sonitum amplius percipere non potuit, cum tamen idem horologium extra undas in plano optime audierit 45 pedes distans ab illo.

Concludit tandem sagacissimus Dominus Abbas, quod, *si pisces sint surdi, non aliunde surditatis causa petenda, nisi a carentia aut ab absoluto defectu organorum auditus; siquidem domicilium, quod natura ipsis tribuit, nullatenus sonos ad pisces transmittendos arceret; ut itaque aqua piscibus ad audiendum invincibili impedimento non sit.* Miratus sum industriam *Viri doctissimi*, sed simul meditabundus perpendi, quodsi *homo*, qui a natura stationem in sicco habet, immersus aquis, auribus suis experiri queat, *PISCES*, indigenas aquæ, auditus sensu valere in undis, naturam ipsis *PISCIBUS* organa ad audiendum longe excellentiora tribuisse, consequenter *nullum preiudicium esse*, sed ipsa ratione niti, *PISCES ACUTE AUDIRE.* *Vespertilio*nes & *Noctua* noctu vident, quocunque aliud animal videre nequit, cum illorum oculi ita sunt constructi, ut vel *ultimam lucem*, nunquam in summis tenebris delebilem, percipiant; sic pisces extra elementum suum forsitanmodi impetuofsum æstum patitur, ac homo, qui secundum processum Domini *Autoris* caput aquis submergit, vel prout oculi *Noctua* splendore solis perstringuntur. Opinatus quidem est celeber. Dominus *Abbas*, quod pisces *sonos saltim in aquis generatos* distincte percipiunt, illi vero, qui in aëre libero excitantur, tanquam toni exotici, pisces non feriant, nisi imbecilliter, quod multi potentes non sunt; sed, ut verum fatear, fluctuationem animi hac de re mihi conciliant, & potentia audiendi *Physeteribus* communis, & exempla aliorum pisium, branchiis apertis, sive spinosorum mox referenda.

## § XXIX.

Silentio præterire potuisse<sup>m</sup>, quod Dominus *Autor* piscatorum pag. 282. opinionem, tanquam vanam culpit, quod tacite & sine strepitu pescatio fieri debeat; sed distinguendum esse puto inter *piscationem nocturnam* & inter *diurnam*; nocturna pescatio ut minimo, quo fieri poterit, peragatur strepitu (§ XV) ipsa ratio dicitat; in diurna pisces antecellunt pescatores oculorum acie, & multis insidiis hi opus habent, ut pisces venentur; insuper sententiae Domini *Autoris*: mutus tanquam pescis, oppono magis absolutam sententiam: Cuilibet pag. 283. artifici in sua arte credendum. Tandem clariss. *Autor* radicitus tollendas cupit historicas relationes, de *convocatis ope pulsæ campanæ Cyprinis aliisve pescibus*. Ad historiæ certitudinem requiri dicit, ut campana tali loco fuerit suspensa, quo pescibus non integrum sit, oculis campanam percipere, utque convocantes vel voce, vel fistula, in tali statione sint constituti, unde in oculos pescium non illabantur.

## § XXX.

Sic est; ferunt relationes PLINII, LAVRENTII, SEVERINI POMPEI SARNELLI <sup>f</sup>, SEGERI, SALVIANI, RONDELETII, BOYLEI, SCHEUCHZERI & aliorum autorum, Cyprinos ope pulsæ campanæ, aut mediante alio quodam sonitu excitato, cibatum appellari. SCHEUCHZERUS *all. loc.* (ad § VI): *Supplent forte hic visus atque tactus defectum auditus*; sed quodsi etiam per tactum pulsam campanam sentiat, sequitur, *aquam sonum transmittere*, sensumque auditus non impedire, si vero audiant, iterum sequitur, pisces habere auditus organa, quæ SCHEUCHZERUS negat, haecque nullibi, nisi in capite per vestiganda fore. RAIUS dubitat, an tale factum probationi de auditu pescium inservire possit; interim tamen eandem cum Domino *Autore* cautelam in medium profert, ut scilicet *campana pone parietem suspendatur*; verba eius sequentia:

Si

<sup>f</sup> La Guida di Poroli pag. 84: Prezzo la marina di Bauli era la villa di Q. Hortensio oratore -- quindi erano le sue pesci, dov' egli haveva pesci cotti manfusetti, che correvalo a cibarsi nelle mani di quei, che forgean loro il

cibo, onde CICERO con ischerzoso motto il chiamada TRITO. Conf. eundem ibid. pag. 86 de villa & pesciis Domitianis: onde (PLINIO) inferisce, che i pesci hanno l'udito &c.

*Si campana pone parietem collocaretur, & nibilominus, ea pulsata, e latibulis egressi pisces, eo se reciperen, unde sonitus exiret, quin auditu donati essent, nullus adhuc relinqueretur locus.*

Iam vero si Dominus *Autor* egregio BOYLEO non omnem fidem, licet ex auditu, prout pescatoribus, denegat, non vocaturus in dubium historiam, quam hic in *Oper. philos. Part. III pag. 41* acceptam refert; sic fert relatio:

*Ibi ( scilicet in quodam horto Genuenium ) ichthyotrophium est, colli vicinum, cuius agger tantæ altitudinis, ut homo in piscinam introspicere nequeat, nec ullo modo a piscibus videri queat; ad hanc piscinam fide dignissima persona, omnibus temporibus observavit, pisces ab hortulano, edito certo sonitu, convocatos appellatio- ni obtemperasse.*

Aliud experimentum de pulsato manu muro vide *Miffu I § IX*; quæ omnia, & quod in villa Divi Antonii pisces e manibus hominum cibos ceperint, enervant *Domini Autoris* obiectionem, ( § XIII ) pisces plane stupidia animalia esse, cum iure nullum animal dicere queam adeo stupidum, quod *disciplinae capax est*, ad quam eiusmodi exercitia certo certius trahi debent &; alias *brutum* non solum animal irrationale, sed & *hominem stupidum* significare solet; quo vocabulo autem facile carere possumus.

### § XXXI.

<sup>pag. 283.</sup> Ultimo loco trutinemus pondera *experimenti Domini Autoris*,  
<sup>284.</sup> quo contraria experimenta destructa vult. Pone septum ad pedem piscinæ eum socio constitutus eo tempore, quo pisces ad superficiem aquæ congregati fuerint, cum lapidibus erexitavit vehementer, imo sclopeturn explosit, ita ut pisces propter altum vallum, nec ignem, nec fumum cernere potuerint, & tamen pisces stationem non mutarunt,

§ Conf. WILLUGHB. pag. 228, ibi-  
demque easum singularem; nec non  
RONDELETII exemplum desum-  
tum a nolis, aliisque tintinabulis, que  
prisci funibus retium applicarunt, ut  
sonitu, in libero acre excitato, certo-

rumque piscium stridori consonante,  
eiusmodi pisces in retia convocaren-  
tur; - - Sicque pisces in undis so-  
nori excitatos quoque extra undas  
sonos in aquis audire constaret.

tarunt, sed circiter duas uncias alti & congregati manserunt, indubitate arguento, quod *sint surdi*; quam primum vero *Autor* in eorum conspectum venerit, manumque saltim in altum tulerit, omnes illico dispausile.

## § XXXII.

Certe, hoc experimentum nimium probat, consequenter nihil. Non est quæstio: *utrum pisces, cum nihil vident, aliquid tamen audiunt, ex auditu attoniti, latebris se occultent?* verum quæstio est: *quodsi pisces ad certum sonum, vel verbum, vel alios sonitus assuefacti, tali modo, ut durante sonitu cibus ipsis propinetur, an pisces excitato illo sonitu, non visis nec operatore nec instrumento, sonitum audiant in latebris & ex fundo congregiantur, prout in onachi, pulsata campana, vel in chorum, vel in refectorium?* Et unde est? quod pisces præter ullum sonitum convenient, quoties in hortis nostris panis in escam ipsis prolicitur, neminemque reformidant, visis etiam vel decem, vel pluribus hominibus, licet proieccio panis sine manus brachiique motu fieri nequeat? Quid Domini *Autoris* crepitatio cum lapidibus? quid sclopetonum explosum, horizontaliter, extra regionem piscinæ in aliam directum, ad pisces? (quippe si in altum explodisset sclopetonum, pisces vel sumum apprehendere potuissent). Sane pisces non reformidant *nubes fugaces*, *nec adeo stupidi* sunt, quin pluribus accidentiis assuefacti; non timent strepitus quam plurimos, quamdiu insolita, vel timorem imprimenta corpora vel *aves piscivore* in oculos eorum non cadunt. Comitantur *clastes navium* & singula navigia; sed unde? quod iis assuefacti sunt, spemque lucrandi cibum habent, vel rapinam e navibus. Sic certissimus sum, & *exploso sclopeto pisces ad cibatum congreguros*, si talis disciplina panem se lucratores edoceti fuerint. Communiter de homine meticuloso (*poltron*) dicitur: perstat, tanquam lepus ad tympanum (er stehet, wie der Haase für der Trummel) iam vero porrigit *lepori* avenam, non nisi in alterutra superficie tympani, pro pastu; ubi *fame pressus lepus*, nihilque super tympano pro gula habens, proprio marte ingenioque *tympanum pulsabit*,


E follicitans


sollicitans cibum <sup>h</sup>. Sponsonem cum Domino *Auctore* secissim, quod pisces, quos manu erecta, verum vacua ante fugaverat & externaverat congregatos, mox reduces reddidisset, ad usque littora sibi appropinquantes, si altera manu frusta panis in aquam proieceret. Itaque contra Domini *Autoris* sententiam: **PISCES esse MUTOS & SURDOS**, satis firmo stat **talo**: **PISCES esse SONOROS, AURIBUSQUE OPTIME CONCIPERE SONOS**.


<sup>h</sup> Conf. *Prodr. hist. quadr. promov.* inter dubia &c. ad § XIII pag. 19 litt. pp.

## IOB. XII, 8.

Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt  
pisces maris.







This book should be returned to  
the library on or before the last day  
of the month.

